


Exercitatio Theologica Quarta De Luce Increata, Et Creata

Tubingae: Reisius, 1682

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn872463036>

Druck Freier  Zugang





78.



Fa - 1092(78) (SON)

Tomo Soc. LXXXVII. habent

1. Isaac Faustig de Epistola Jacobi sententia Veterū.
2. ——— ad locum Jacobi V, 14. 15. p sent. Lutheri prior.
3. ——— ——— ——— ——— ——— Posterior.
4. ——— ——— ——— ——— ——— Tertia.
- 5-13. Jo. Adami Osiandri Disputationes IX. de luce increata et creata.
- 14-18. Michaelis Muller Disputationes V. de Invocatione s. s.
19. Wilhelmus Zeschig de Theologia principio cognoscendi.
20. Georgius Hennig Haerberling de Benivolentia Dei generali et speciali.
21. Fndencus Gerschorig de Passione et morte Jesu Christi.
22. ——— Haerberlinus de Baptismo.
23. Jo. Adamus Scherzerus de fide baptisatorū infra ^{sum}
24. Antonius Reiserus de Sacram. Baptismi.
25. ——— Haerberlinus de Justificatione.
26. ——— J. A. Osiander de Justificatione
27. ——— ——— de fide justificante.
28. Mich. Muller de Imputatione justificationis.
29. Jo. Fndencus Olearius de Renovatione.
30. Jo. Meisnerus de oratione spiritus. in habitatione.
31. Jo. Osiander de Calesia.
32. Geom Hennig Keller de Ecclesia infantum.
33. Jo. Lud. Hartmannus de Elenchomorali.
34. ——— Jo. Ad. Osiander de Invisibilibus.
35. ——— ——— de Miraculis.
36. ——— ——— de Jure Patronatus Episcopatus etc.

37. Geom. Henricus Keller de Magistratu Pol.
 38. Königsmg. Hirkander. Satyra in Bökelmanni Dissert.
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-
 minis Episcopo Spalatensi.
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis. Indicii Syncretismi
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.
 44. Zwang Abthligg Risens Unschuldigung eines
~~Brüder~~ Luffen.
 45. Melchioris Corneci Aristoteles rediret in R. Cathol.
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lüneb.
 ad Orat. inaug. O. Luhnii.
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.
 48. Jo. Reinhart Brecht de Paenit. Iterabili.
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practiciis.
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecturae de Miliano
 presenti et Apoc. pp. 4 ff.
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.
 52. Christoph. Matthiae Pfaffig de Gratia et Prae.
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii
 Tridentini

J.S.

EXERCITATIO THEOLOGICA
QUARTA

De

LUCE INCREATA,
ET CREATA,

Quam,

Divinâ favente gratiâ,

SUB

PRÆSIDIO

Doct̃oris Theologi

REVERENDISSIMI, MAGNIFICI
ATQUE DIGNISSIMI,

DN. JOH. ADAMI OSIANDRI,

SS. Theol. Professoris Primarii longè lateque ce-
leberrimi, Universitatis Tubingensis Cancellarii Emi-
nentissimi, Præpositi Ecclesiæ vigilantissimi,
meritissimi,

Dn. Patroni ac Præceptoris submissâ animi veneratione
ætatem colendissimi,

Publicè defendere conabitur

JOHANNES TULLA,

Augustano-Vindelicus.

Die 11. Augusti.

Anno MDCCLXXXII.

IN AULA THEOLOGORUM NOVA.

TUBINGÆ,


Typis JOHANN-HENRICI REISL

Monsieur Boissier.

8715

EX LIBRIS
LUCIFERATA
ET GREATA
D. JOHANNES
ADAM
JOHANNES
ADAM

?



EXERCITATIO THEOLOGICA

QUARTA

De

L U C E I N C R E A T A
E T C R E A T A.

TH. LXI.



Raculum Esaiaë 42. malè detorquetur ad Esaïam. De tali enim Luce ibi sermo est, quæ est Lux gentium & quidem omnium, qui scil. & Verbo externè & internè Spiritu suo illas illustret. Quis autem de Esaïa hoc dicat, quis, qui ostendere possit illum & quidem eo modo fuisse Lucem gentium; de tali Luce loquitur Esaïas, quæ apertura oculos cæcorum, eductura de conclusione vinculum, de domo carceris sedentes in tenebris. Num autem hoc Esaïæ competit; de tali deniq; Luce prophetat Esaïas, quæ data est in fœdus populi Judaici scil. Author illius futurus. At nullibi legitur de Esaïa, quod in fœdus populi datus, nec dici potest, quomodo hæc verba de eo commodè exponi possint. Adde quod Judæi, qui Messiam hîc videre nolunt, nesciant, quo se vertant, & vel de populo Judaico vel de Cyro, vel de ipso Esaïa hunc textum accipiant. Planè contra Thargû Jonathanis, quod de solo Messia hæc verba exponit, de quo referunt Thalmudici, quod *Hillelis senis Discipulus* (unde pauld ante natum Christum floruit) *Inter octoginta celeberrimos Hillelis Discipulos hic Jonatban fuerit primus & doctissimus, infimus autem R. Jochanan ben Zaccai.* Item, *Targum legis Onkelos profelytus composuit. Targum Prophetarum Jonathan Uzielis filius fecit, & fuit commota terra Israelis ad 40. usque milliaria. Tunc egressa est vox cœlestis, & dixit: Quis est ille, qui revelavit secreta mea filiis hominum? Continud Jonatban Uzielis filius in pedes exurgens prolocutus est: Ego sum ille, qui revelavi secreta tua hominibus. Manifestum notumque est coram te, quod non honoris meî studio id fecerim, neque propter honorem patrum meorum sed propter tuum honorem hoc feci, ne dissensiones multiplicarentur in Israele.* Porrd cum cuperet quoque manifestare Targum Hagiographorum, rur-

K

sus

sus egressa est vox cælestis, dicens ipsi: Sufficit tibi. Quamobrem? Pro-
 pterea, quia revelatur in eis finis Messia (nempe in Daniele.) At-
 que hinc R. D. Kimchi hunc Servum Domini Esa. 42. v. 1. seq.
 constanter & unice de Messia explicat, cum Targum Jonathanis.
 Ecce Servus meus vers. 1. Hic est, ait, Rex Messias. Dedi Spiritum
 meum super eum) Etiam ita Esa. 11. v. 2. Et requiescet super eum Spi-
 ritus Jehovæ. Judicium proferet inter Gentes) quod explicat ex Esa.
 2. v. 4. & Zach. 9. v. 10. Id quod futurum fit post prælium cum Gog
 & Magog. In legem ejus v. 4. ex Esa. 2. v. 3. 4. Dedi te in fœdus po-
 puli in lucem gentium, v. 6.) de populo Israelitico interpretatur, suo
 tempore ex Captivitate seu exilio egressuro. In fœdus populi) In sub-
 sistentiam omnis populi & populi, propter te enim subsistit seu perstat to-
 tus mundus; Ac omne fœdus notat Subsistentiam, & ita eris etiam (scil.
 Israël) in Lucem Gentium, ex Esa. 60. v. 3. Ac hec Lux est Lex, que
 exhibit illis ex Zion, Esa. 2. v. 3. Israël autem erit Subsistentia po-
 pulorum. Duobus modis seu bis ita loquitur pro unâ vice, propter illos
 enim (Israelitas) pax erit inter omnes Gentes. Sicut dixit de Messia,
 & loquetur pacem inter Gentes, Zach. 9. v. 10. Ac iterum: Quia pro-
 pter Israël Gentes custodient 7. præcepta, & ambulabunt in viâ bonâ,
 juxta Esa. 2. v. 3. Hunc Prophetæ locum Targum Jonathanis
 seu Chaldaica ejus Paraphrasis ita reddidit: Ecce servus meus NB.
 Messias, applicabo eum: Dilectus meus in quo complacuit verbum meum,
 dabo Spiritum sanctum meum super eum, judicium meum populis revela-
 bit. Non clamabit, nec vociferabitur, nec elevabit foras vocem suam.
 Mansuetos, qui sunt quasi calamus quassatus, non confringet, & paupe-
 res, qui sunt, quasi linum obscurum non extinguet. In veritate adducet
 judicium. Non erit lassus, nec laborabit, donec dirigat in terrâ judi-
 cium, & legem ejus insula expectabunt. Hæc dicit Dominus Deus se-
 culi, qui creavit cælos & appendit eos, fundavit terram & habitato-
 res ejus, dans spiramentum populi, qui super eâ est, & spiritum gradien-
 tibus in eâ. Ego Dominus magnificavi te veritate, & apprehendi ma-
 num tuam, & direxi te, & posui te in fœdus populi, & in lumen popu-
 lorum. Ad aperiendos oculos domus Israël, qui quasi cæci sunt à lege,
 & ut educeres captivitatem eorum de medio populorum, ubi sunt similes
 vinctis, & liberares eos de subjectione regnorum, ubi sunt detenti, quasi
 essent vincti in obscuritate. Ego Dominus, hoc est nomen meum, & glo-
 riam

riam meam, quâ revelatus sum vobis, populo alteri non dabo, nec laudem meam cultoribus sculptilium &c. Atque sic loca illa Efa. 2. v. 3. 4. c. 60. v. 3. Zachar. 9. v. 10. cum hoc Efa. 42. v. 6. tanquam parallela juxta R. D. K. agunt משיחַ de Messia. Ad aperiendum, v. 7.) Ego Jehova vocavi te ad aperiendum oculos cæcorum, q. d. oculos vestros, qui sunt cæci in exilio præ multitudine angustiarum, & sic ad educendum ex carcere vincum. Tu enim Tu inquam, vincus es in exilio & in domo carceris & sedes in tenebris, &c. Cyrillus Alexandrinus ita respondet & explicat illud Joh. 1. v. 8. Non erat ille Johannes Lux vera, sed ut testimonium perhiberet de Luce: Apertius modò veram Lucem à creaturis, quæ Lux non sunt, Evangelista dissipat. Ille enim naturâ Lux est, ista per gratiam, ista participant, illa participatur. Indigent illa Luce, illa indigentibus seipsam largitur. Nihil ergo præter Ipsam vera Lux est, nec quicquam aliud propriâ virtute & naturâ fructum luminis edere potest. Sed quemadmodum ex nihilo producta sunt, sic à tenebris splendore veri luminis accepto & participatione illius illustrata, imitatione quâdam in Luce trans-eunt: Ita Dei quidem verbum substantialiter non participatione, quæ per gratiam fit, nec per accidens Lux est. Creatura verò non sic, sed accipit, quod non habet. Illuminatur, ut de foris gratiam acquirit, largitoris misericordiâ hujusmodi dignitatem consequitur. Quare Filius Dei quidem vera Lux est, creatura verò ejus illuminatione per gratiam Lux est. Quum igitur tanta inter Lucem & Lucem differentia sit, quomodo non insanire videbuntur, qui parum, ut mihi videtur, attendentes, impie creatorem creaturis connumerant? Præsertim cum undique consideranti pietatis veritas emergat, nullo videlicet pacto creaturis Filium Dei posse connumerari, quod ex sequentibus latius patet. Nam si Filius, quia Dei Patris splendor est, idcirco vera Lux est, non erit profecto creatura. Nam aliter quoque creatura gloria Dei Patris erit, poteritque illud esse, secundum naturam, quod Dei Filius est. Præterea si creatura vera Lux esse potest, quamobrem id de solo Filio dicitur, cum equaliter sicut Filius vera Lux creatura possit appellari? Sed propriè & verè substantia Filii Lux est, creatura verò minime. Quomodo igitur creatura Filius erit? Adhuc permultum interesse necesse est inter veram Lucem & non veram. Aliud igitur est Filius Dei, quia vera Lux est, aliud creatura. Accedit, quod non

possit reddi ratio, quare Filius Dei illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, si creatura quoque lux vera est. Frustra enim per Filium illuminari diceretur, si per se substantialiter lucem haberet. Sed Filius quidem Dei nos illuminat, nos autem ab eo illuminamur; Non sunt ergo secundum substantiam affinia Filius Dei & creatura, quemadmodum nec participans nec participatum. Adde, quod si vera Lux etiam Creatura sit, inanis quidem esset Psalmista dicens: Accedite ad eum & illuminamini. Quod enim vera lux est, nunquam participatione alterius alterius lux fiet, cum splendore alterius non illustretur, sed perfectè suâ naturâ luceat. Videmus autem hoc falsum esse. Non enim dubitamus luce humanum genus egere, nec Psalmistam mentiri putamus, cum ad Verbum Dei magnâ clamitet voce: Quoniam tu Domine illuminas lucernam meam, Deus meus illumina tenebras meas. Non ergo sumus nos vera Lux, sed alieni naturaliter à verâ luce, qui Filius Dei est, participatione illustramur. Quod si lucerna mens humana nuncupatur, cum dicitur: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, quomodo nos erimus vera lux? De foris enim lucernæ lumen conceditur. Si etiam tenebras nostras solus illuminat Unigenitus, quomodo non solus vera lux est, nos verò tenebræ? Quod si ita est, sicuti certè est, quomodo verbum Dei, qui creaturas tantum excedit, creatura erit? Adhuc si creatura vera lux esset, ac homo etiam, qui creatura non contemnenda pars est, quibusnam Deus pater promisit, dicens: Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitia? Non enim illustrante Sole vera Lux indiget, sed ut verè indigentibus Deus Pater Solem nobis, ut pollicitus est, dedit, quo illuminati sumus. Aliud ergo naturâ vera lux est, quæ indigentes luce illustrat, aliud creatura, quæ illustratur. Præterea si creatura & nos, ut creati lux vera sumus, cur ad Deum sancti magnâ voce conclamant: Emitte lucem etiam & veritatem tuam? Nam si non indiget illuminante, creatura, ut vera lux, cur frustravocabant nullo ad hoc indigentes? Sed non fuerunt amentes sanctissimi illi viri, qui illuminari petebant, quibusque ipse rursus Deus Pater luce indigentibus Filium misit. Non est igitur creatura Filius, Sc. Hæc ille accuratè. Denique B. noster Lutherus, qui ita: Dedi te in fœdus populi, Sic uno verbò haurit, & abrogat totam legem cum omni justitia, cultu & operibus suis. Facit autem hic locus ad stabiliendam conscientiam. Quia enim nihil pestilentius est, quàm scrupulus conscientia, &

dubi-

dubitatio: ideo dicit, Christum esse fœdus nostrum, ut finis certi de primo præcepto, quod Deus in Christo, & per Christum vult noster Pater & Deus esse, quod Christus debet fœdus & pignus gratiæ esse, non aliqua nostra bona opera &c. Et Lumen Gentium. Non est fœdus Gentium, Christus enim Judæis tantum promissus est, & fuit minister tantum circumcisionis. Sed ex illo fœdere, ex ministerio illa lux in gentes spargitur. Simul observa hęc locò exclusivam, quod extra Christum nullum fœdus, nulla lux est, sed cœcitas & inimicitia erga Deum, & ira Dei.

LXII.

Depravationi Rabbinicæ, quæ luculentum de Messia testimonium sollicitat, opponitur meritò primò, quod illa Lux Gentium hęc intelligatur, illud individuum, quod de seipso testatum fuit in capite antecedenti versu 16: Nunc misit me Dominus & Spiritus ejus. Secundò, quod emphasis verborum alium præter Esaiam designet. Ille enim hęc intelligitur, qui fuit servus Domini ad suscitandas tribus Jacob & fœces Israël convertendas, reservatas & superstites ex tot cladibus & excidiis. At Esaias non fœcibus Israël prædicavit, non illas suscitavit, non reduxit, sed illis qui erant Hierosolymis & in terra Juda tantum præfuit. Ille hęc intelligitur, quem Deus dedit in Lucem Gentium, ut esset Salus ipsius, usque ad extremum terræ, in omnibus & singulis universi partibus, at quis de Esaiâ affirmabit, quod datus fuerit in Lucem Gentium, ut esset Salus Domini in toto Orbe, totius Mundi Redemptor, Sponsor & Expromissor. Ille hęc intelligitur, cujus officium hoc ordine sese habuit, ut primum Judæis profuerit, dein Gentibus toto Orbe dispersis. At quis hunc ordinem observare potuit in Esaiâ? quis demonstrare hanc methodum in consanguineo Messix. Tertio, quod illa Lux hęc commendetur, ille Salvator, qui in sequenti capite 50. vers. 6. de seipso pronunciat: *Ego dorsum meum dedi percutientibus & maxillas meas depilantibus, seu evellentibus pilos, faciem meam occultavi ab ignominia & sputo.* At Dominus juvabit me, propterea non pudebiam, propterea posui faciem meam tanquam silicem, nam novi quod non confundar. Et de Messia in capite 49. esse sermonem ipsi Rab-
bini, quoque viderunt observante Petro Galatino libro sexto cap.

14., qui ex *Bereschith Rabba* pro Gentilium Salvatione adducit Genes. dictum 41. Et dixit Pharaos ad Joseph: Ego Pharaos & absque te non elevabit vir, vel aliquis manum suam. Ibi enim sic inter cætera dicitur: dixit Rabbi Aha, poterit ne dici, quod Redemptor sit acceptor facierum, id est, personarum? Absit, sed omnes eum confitentes ore suo & operibus suis & corde suo, salvabit atque liberabit: sicut dictum est Jeremix 23: *In diebus ejus salvabitur Juda, id est, confitentes cum salvabuntur.* Et sic ipse ait apud Esaiam capite quadragesimo quinto: *Convertimini ad me & salvabimini omnes fines terra.* Et iterum dixit ibidem: *Quia mihi flectetur omne genu, & jurabit omnis lingua.* Et de ipso quoque scriptum est Esaiæ quadragesimo nono capite: *Dedi te in Lucem Gentium, ut sis Salvatio mea usque ad fines terra.*

LXIII.

Denique Effatum illud Esaiæ 60. tam clarum est, ut quicquid nebularum illi spargatur ipsa sui Luce dissipet. Nam *primò* conjunguntur in illo Oraculo Lumen Hierosolymæ & Gloria Domini, quæ exorta est super illam, adeoque hæc Lux est ipse Jehova, ipse Dominus. *Secundò* tenebræ dicuntur operire terram & caligo populos, quæ commodè non possunt intelligi, nisi de tenebris ignorantix & errorum, quibus opponitur ortus Domini & Gloriæ divinæ visio. *Tertiò* dicitur ambulaturas esse gentes in Lumine illo & Reges in splendore ortus illius, adeoque gentes emerfuras ad Lumen illud, & Reges sese composituros ad splendorem illum divinum. accedit, quod de illa Luce secundum ipsos Judæos hîc sit sermo, de qua Esaiæ 2. v. 2. & 3. agitur. Parallelismum enim hîc ipsi agnoscunt. at Esaiæ secundo agitur de Messia, & per Lucem illam intelligitur ille, qui Lumine Verbi totum Orbem illustravit, de salute illa & lætitia, quæ Judæis obventura tempore illo, quo ex præsentis exilio liberandi & de tempore Gog & Magog sub Messia, ut ipsi volunt; de illâ Luce, de quâ Esaiæ 42. ipsis non invitis. Ergò de Messia, ut jam in illius loci Vindicis satiatè ostensum esse existimamus. Non malè itaque *Hieronymus*: *Judæi, scribit, & nostri Semijudæi, qui auream atque gemmatam de cælo expectant Jerusalem hæc in mille annorum regno futura contendunt, quando omnes gentes servitura sunt Israel.* Et inferius:

Hæc

Hæc illi dicunt, qui terrenas desiderant voluptates & uxorum quarunt pulchritudinem ac numerum liberorum, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, quorum qui sequitur errorem sub nomine Christiano Judæorum se similem confitetur. Et iterum: Nos autem juxta priorem sensum ad Ecclesiam dici universa credamus, quæ primum de Judaico populo congregata est, & Lumen quod super eam ortum fuerat per Apostolos transmittit ad Gentes, cui dicitur: Surge illuminare, ut quæ cecidit in incredulis, surgat in fidelibus: quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesiis, & postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras. Vide Rabbīnorum Nugas contractas apud Varenium pag. 411. 412. Conclusionē quartā.

LXIV.

In Exegesi Pontificiorum Doctorum quædam desideramus. Et quidem primò Cornelius à Lapide de Lumine fidei christianæ intelligit locum Esaiæ 2. Interim primò non multum distat sua paraphrasi à nostrâ sententiâ, quia & nos hîc putamus sisti Christum in suo officio prophetico. Secundò, proximè tamen designari ipsum Messiam censemus, qui verè fuit Lumen Domini Esaiæ 49. & Lucæ 2. v. 32. quique projecit populum suum domum Jacob: quia repleti, ut olim, & augures habuerunt, ut Philisthiim & pueris alienis adhæserunt quique per collationem locorum N. T. designatus à Cyrillo. Tertio adducimus pro nobis Sanctium, qui ita: Est sensus ô domus Jacob, fidelibus prognata parentibus, ad quos facta promissio, & ex quorum generatione ortum est hoc Lumen (Num. 24. Orietur stella ex Jacob) venite, ambulemus in Lumine Domini.

LXV.

Sanctius in dicto Esaiæ nono malè primò intelligit per Lucem magnam diem lætum & candidum. Lux enim hæc opponitur tenebris, sive tenebrositati, non in ratione diei transeuntis, sed in ratione Lucis perennantis; tenebræ enim hîc habituales describuntur & profundæ. Lux hæc dicitur magna, quod commodè de die accipi non potest, Lux denique dicitur hæc visa à populo ambulante in tenebris, quæ proinde commodius de Persona & Individuo accipitur, quam de die læto & candido. Secundò, quid sit illa Lux satis luculenter exponitur Matth. 4. v. 12. 13. 14. 15. 16. Tertio de Christo immediatè loqui Prophetam observarunt ex sociis

ciis Religionis *Cornelius à Lapide, Tirinus, Menochius, &* qui nuper sua edidit *Commentaria Antonius d'Escobar & Mendoza*, qui hanc adornavit paraphrasin: *Galilæa, Zabulon & Nephtali tenebris infidelitatis Gentilismi cum Judæismo immixta, effusa, viderunt Christum Dominum, Lucem planè veram, que omnem hominem illuminat. Habitantibus in regione umbrae mortis Lux orta est eis. Christi fides & charitas eis, qui in densissimâ ignorantia ac peccatorum caligine versabantur, effulsit.*

LXVI.

*Hugonem refutat primò Evidentia Verborum, quomodo enim de Cyro dici potest, quod Dominus eum dederit in fœdus populi, in Lucem Gentium, ut aperiret oculos cœcorum, & educeret de conclusione vincitum, de domo carceris sedentes in tenebris. Refutat secundò Interpres omni exceptione major, allegatio hujus Oraculi de Messia in N. T. libris apud Matth. 12. v. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Refutat tertio Cornelius à Lapide scribens: Loquitur de Christo, ut patebit ex sequentibus, perperam ergò Hugo hæc de Cyro accipit hoc sensu q. d. Vocatus est à Deo Cyrus in justitiam, ut scilicet justè puniret Chaldæos, & in fœdus ut Judæos liberaret. Porro in justitiam, id est, cum justitiâ & summâ justitiâ præditum, vel ad justitiam ut vertunt LXX Interpretes q. d. Ego te Christe ad hoc excitavi, ut tu justitiam collapsam in terrâ impiâ & injustâ erigeres & restitueres, utque tu justus, justificares & sanctificares alios. Unde sequitur, dedi te in fœdus &c. Ita passim Interpretes: Hic sensus est genuinus &c. Malvenda, qui ita *Ἰσραὴλ* Custodiens te tradam in fœdus populi, id est, ut sis Angelus fœderis *Malach. 3. v. 1.* & electos omnes uno corpore reconcilies Deo per crucem peremptis inimicitias per eam, veniensque evangelizes pacem omnibus *Eph. 2. v. 16.* sic distinguuntur Officia Christi, Sacerdotium hic atque prophetia, sequente membro, quorum Effecta per Hysterosin sequente versu exponuntur in Lucem gentium, ut infra cap. 49. v. 6. *Lucæ 2. v. 32.* Antonius denique d'Escobar & Mendoza, qui ad versiculum sextum hæc addidit: Ego excitavi te ô Christe, summâ justitiâ præditum & gratiâ ornatum: manum tuam apprehendi sustentans, falciens, deducens te: & dedi te in fœdus populi, seu ad complendum fœdus, factum, promissum populo meo à me factum, in Lucem gentium; Promisi enim Judæis, me missurum ipsis Messiam;*

Messiam; licet autem gentibus te non ita promiserim, dedi tamen te, ut etiam ipsas illumines, doceas, ad fidem, ad justitiam, ad vitam eternam.

LXVII.

In Capite quadragesimo nono, non quidem errat *Sanctius* admittendo de Messia esse sermonem, sed tamen non satis dextrè agit, negando præceptum hoc Christum per se non obliisse. Nam ipsum deflexisse etiam ad confinia Tyri & Sidonis habemus ex Matth. 15. v. 21. nec sese arctasse intra terminos Judææ. *Secundò* Ministerium suum obiit maximam partem in Galilæâ, in quâ mixtim habitabant Judæi & Gentiles. *Tertiò* etiam quod præstitit per Apostolos, non ita præstitit, quasi ipse substantialiter absens post ascensionem suam, sed ut præsentissimus secundum utramque naturam, quod patet ex Matth. 28. v. 20. unde etiam *Cornelius à Lapide* ad illa verba scribit: *Dedi te in Lucem gentium, ut sis quasi Sol spiritualis & divinus Mundi & Lumen ad revelationem gentium*, ut canit Simeon Lucæ 2. v. 31. & *Malvenda*: *Ego constituo te in Lucem gentium, id est, ut perfundas omnes gentes illustratione tui Evangelii*, ut supra cap. 42. v. 6. vide Act. 13. v. 46. nec non *Antonius d'Escobar & Mendoza*, cui placuit hæc adjicere. *En gentium quoque conversionem ad extremos usque terræ sine tui laboris volo esse materiam. Has ergò cælesti illustrabis Luce, eisque salutem meam spiritualem impertis.*

LXVIII.

Sanchezii tandem & *Sanctii* Commentarius in Esaiæ sexagesimum caput ejusque initialia non probatur; *partim*, quia non necessum est discernere gloriam à Lumine, quasi illa notaret misericordiam & peccatorum condonationem, cum idem diversis exprimat nominibus, & Messias dicatur tum Lux sive Lumen, quæ illuminat omnem hominem Joh. 1. v. 9. tum gloria Patris, quæ intimatur Ebræor. 1. v. 3. *partim*, quia misericordia & peccatorum condonatio insequuntur ortum Luminis & illustrationem mentis, ipsa autem Lux exoriens & gloria effulgens sese antecedenter se habet ad remissionem peccatorum; *partim* quia frustra allegantur loca Scripturæ, quæ non faciunt ad intentum. Nam si Roman. 3. per gloriam intelligitur gratia & indulgentia Dei, quæ probabitur locum illum nostro esse parallelum, verum

L

nec

nec necessarium est, ut ita accipiamus hoc vocabulum in loco laudato, cum egere gloria sit destitutum esse imagine divina, primæva integritate, & concreata perfectione, iustitia legali, & gloria-tione coram Deo, sive materia illa, sanctitate scil. insita & acquisita, quæ gloriationem suppeditaret, in cuius locum per lapsum successit confusio faciei. Nec quod ex Num. 14. v. 20. adducitur, stringit, cum ab ipsis Pontificiis Interpretibus non accipiatur de misericordia & indulgentia Dei, sed de gloriosa fortitudine Dei in introducendo populo isto in terram promissam siccando Jordanem &c. cum sit responsio ad verba Mosis versu 16. & 17. proposita. Unde etiam *Cornelius à Lapide* sensum illum, quem *Sanchezius* laudavit, perstringit aliquatenus scribendo: Hic sensus partialis est, non totalis, nec adæquatur. Præterea inconvenienter Lumen illud de feliciore statu exponit *Sanctius*: Quid enim opus declinare ad figuram cum in proprietate literæ possimus consistere? ad statum referre, quæ personam describunt omnigenæ felicitatis principium. Quid insuper urget hæc verba exponere de tempore restitutæ Hierosolymæ sub Zorobabele, cum notum sit, quam exilis illa fuerit felicitas post captivitatem babilonicā, & quam debilis splendor Hierosolymæ ad illam, quæ tempore Solomonis eminebat. Deniq; quomodo cum aliis longè hæc de Ecclesia post Christi ascensionem accipiuntur, cum directè de illa negant, citra Typi conficti simulacrum. Agnoscunt hoc, quod diximus, & nobis accedunt, non tm. *Hieronymus* scribens: *Venit Lumen tuum, quod omnes Prophetæ pollicebantur, quod jugiter exspectabas, & gloria Domini, quæ quondam fuit super tabernaculum, & templum ejus orta est super te, de quâ dictum est. Gloriosa dicta sunt in te civitas, sed & Pontificii Interpretes Corn. à Lapide, qui per Lumen & Gloriam accipit Christi præsentiam, doctrinam, gratiam & universam gloriam Evangelii, ex Matth. 9. v. 1. Malvenda, qui Lucem illam exponit esse Christum. Nec non Antonius d'Escobar & Mendoza, qui ita: O Hierosolyma è sordibus scelerum & è tenebris ignorantia surge, & excipe Lumen fidei & gratiæ Christum Solem Justitiæ, quia venit Lumen tuum & gloria Domini super te orta, age ergò, frueri cælesti Luce, quâ tu sola in orbe universo irradiaris.*

LXIX.

Calviniani Interpretes quoque sub censuram post Pontificios veniunt

veniunt vocandi. Et quidem *Musculus* in loco *Esaïæ* secundo capite; *partim* à primaria & principali significatione vocis recedit, nulla urgente necessitate, cum tamen recepta etiam inter Philosophos sit regula. Analogum stare pro suo significato famosiori; *partim* nobis non multum adversatur, quia qui in Lumine Verbi ambulat, ille supponitur ambulare in Messia, quem Verbum illud prærequirit, qui est Propheta ille magnus radios Luminis evangelici passim diffundens, nec unquam à Verbo separandus; *partim*, quia *Calviniani* ita hunc textum exponunt, ut Christum non excludant, unde etiam *Piscator* hanc adjecit Exegefin: *Vivamus ex præscripto Evangelii, quo mentes illuminantur salvificâ cognitione Dei: ac proinde credamus in Christum, & diligamus tum ipsum, tum Christianos propter ipsum.*

L X X.

Crudius est, quod idem *Theologus* ad dictum *Esaïæ* nono voluit commentari. Nam *primò* omnia in textu adversantur illi expositioni, populus qui non incolæ *Jerusalemi* sed *Galilææ*, tenebræ, quæ non calamitates corporales, sed spirituales, Lux quæ non liberatio quædam externa, sed ipse *Messias*, qui solus verè dici potest Lux magna, ut *suprà* ostensum. Attende quoque allegationi, apud *Matthæum* cap. 4. *Secundò* Oraculum illud, quod ortum *Lucis* hujus exponit & causam reddit, cur populus sedens in tenebris viderit *Lucem* magnam: ita quippe *Propheta* versu sexto: *Quia puer natus est nobis: Filius datus est nobis: & constitutus est principatus super humerum ejus: & vocabitur Nomen ejus admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater seculi, Princeps pacis &c.* In quæ verba vide ipsum *Calvinum*, *Oecolampadium* & *Musculum*, qui addit: *Ob hanc causam vocatur Messias scil. Puer ille, id est Christus, unctus videlicet in Regem & Principum. Omnia, inquit, tradita sunt mihi à Patre meo Matth. 11. Item data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. Tertio* ipsi in religione focii. Ita enim *Oecolampadius*: *Lux magna Christus meritò vocatur, quia Evangelii prædicatione non tenuem splendorem emittit: qualis fuit tempore Legis, quum omnia figuris & cæremoniis adumbrarentur. Ita Piscator: Populus ambulans in tenebris recreabitur gaudio magno videlicet ex prædicatione Evangelii, ut declarat Matthæus cap. 4. v. 13. & seq. Hanc Expositio-*

nem postulat *Antithesis*: *Lux enim hic opponitur tenebris, per quas significantur calamitates & ex illis conceptus mœror.* Et in hac significatione vocabulum *lucis* reperitur passim: ut videre est *Esbb. 8. v. 16. Job 18. v. 5. 6. Job 38. v. 15. Job 30. v. 26. Psalm. 97. v. 11. Psalm. 112. v. 4. Psalm. 118. v. 27. Heb. Viderunt &c. Verbum numeri pluralis convenit cum præcedente participio, ambulantes. Et præteritum ponitur pro futuro propter rei certitudinem. Sic paulò post, splenduit: pro, splendebit. Qui sederint &c.] *Επιουρη.* nam eadem sententia repetitur aliis verbis. In terra umbræ letalis] *Id est, in terra tenebrosissima: hoc est, in summis calamitatibus. Metaphora. Videtur esse periphrasis sepulchri. Atque ita sepulchris comparatur captivitas Babylonica, Ezech. 37. v. 12. Umbræ letalis] Heb. umbra mortis, hoc est, mortifera. Genitivus effecti. Super eos lux splendebit] Heb. lux splenduit super eos. Præteritum pro futuro, ut paulò antè. Denique ita Matthæus Polus: Tenebras hic intellige vel calamitatum, vel spirituales ignorantia, idololatriæ & peccatorum, ut tum è loco parallelo *Esaiæ 60. v. 1. & 2.* tum è *Matthæi* explicatione patet. & ad verba *Lucem* magnam addit: Locum variè explicant primò de liberatione temporali, ut sensus sit: *Populus Hierosolymitanus in gravissimis constitutus periculis, qua tenebrarum nomine appellant Ebraei, experietur egregiam liberationem caso divinitus Sennacheribi tam valido exercitu. Non placet. Nam, 1. populus hic minimè intelligitur Hierosolymitanus, (cujus nullum hic est indicium,) sed Zabulon & Naphthalim, ut patet tum, 1. ex verbis præced. Terra Zabulon, &c. cum quibus hæc verba connectuntur, non præmissâ particulâ sive copulativâ, sive adversativâ, Et populus, vel, Populus autem, sed simpliciter, ut designetur per appositionem incolas terræ Zabulon & Naphthalim, & ad viam maris trans Jordanem, Galilææ gentium, esse cum primis populum illum qui lucem visurus est: tum, 2. ex natura rei, quia hi præ aliis horrendæ desolationi, nec non idololatriæ & profanitati, utpote & Gentibus vicini, & à sede cultûs Dei remoti, obnoxii erant; ideoque lux illis ante alios exoritura dicitur: tum 3. ex *Matth. 4. v. 13. &c.* qui expressè docet, incolas ad viam maris populum esse illum, &c. 2. Nullum in textu vestigium est comparationis calamitatis Judaicæ sub Sennacheribo, & Israelitæ sub Tiglat Pelasare. 3. Quæ, quæso, coherentia est, Terra Zabulon priùs leviter affligetur, &c.***

&c. Jerofolymitani è graviffimis periculis deliberabuntur? 4. In illa
 gloffa Judaica falſè affumitur graviorem fuiſſe cladem, Judaorum tem-
 pore Sanheribi, vel etiam captivitatis Babylonica, illâ decem tribuum
 ſub Salmanafare, quâ non tantùm deſtructæ erant, ſed nunquam poſtea
 inſtauranda. Videbunt lucem, Sc. i. e. recreabitur gaudio magno,
 videlicet ex prædicatione Evangelii; ut declarat Matth. 4. v. 17. Sc.
 Lux ponitur pro gaudio ſive ſolatio, Job. 18. v. 5. 6. & c. 30. v. 26.
 Pſalm. 18. v. 29. Sc. item pro gratia ſpiritali, Job. 12. v. 35, 36.
 2. Cor. 4. v. 6. Impletum hoc partim in ruina Sennacheribi, deinde &
 Babylonis; pleniùs tamen & præcipuè in illuminatione hominum luce
 Evangelii. Vide Matth. 4. v. 13--16. Luc. 1. v. 78. 79. & 2. v. 32.
 Sc. [Ca. hunc verſum cum præced. & ſeq. ſic explicat:] Quanquam
 quidd dico [in fine præced. cap.] anguſtiam fore, expugnatâ videlicet
 à Chriſto Magis falſisque diis, ea anguſtia erit deaſtricolis quidem &
 impiis pernicioſa ad Chriſti lucem cæcipientibus; ſed erit electis Chri-
 ſtumque admittentibus ſalutaris: erit enim doctrina clarior in iis terris,
 in quibus docebit Chriſtus, quàm fuerit ante ejus adventum apud Za-
 bulonios & Nephthal. qua dua Tribus doctrinâ claruerunt, ut appa-
 ret ex Gen. 49. v. 21. Deuter. 33. v. 19. Jud. 5. v. 14. Sed illorum
 doctrina levîs obſcuraque fuit, prout futura eſt Chriſti lux illa quâ ali-
 quando Galilæam cæterasque gentes indoctas itâ illuſtrabit, ut magnus
 eorum numerus Chriſtianus fiat. Qua res lætitiâ, tanquam præda
 parta, pariet, quippe Chriſto de ſuis hoſtibus triumphante, ſuosque in
 libertatem aſſerente, ut olim à Gedeone contra Madianitas factum.
 Sed & Gedeonis & aliorum certamina ferro geruntur; at Chriſti cer-
 tamen igni geretur Evangelico, quo totus incendetur orbis, Nam puer
 nobis naſcitur, &c.

LXXI.

In loco Eſaiæ 43. ut retulit ſententiam de Cyro Polus, ita E-
 picriſin ſubjungit, ſcribens: Hæc ſententia tanquam inepta ab aliis
 reprobatâ eſt. Multa hæc ſunt, quæ Cyro non congruunt. Et Piſcator
 ad verſum primum ſcribit: Hæc ſunt verba Dei Patris ad Chriſtum.
 Sic infra cap. 53. v. 11. qui ſcil. mihi ſerviet in præſtando officio Me-
 diatoris inter me & electos. Secundò, quàm abſurdè exponitur lo-
 cus de Eſaiâ & ipſa phraſis de Doctrina unius Dei Mundi Opificis
 inter gentes, quam exile hoc eſt? num Lux gentium ille qui docet

Gentiles esse unum Deum Mundi Opificem, cur non ita Plato, ita Aristoteles ita Epictetus, ita Maximus Tyrius dicendi erunt Lux Gentium? Num non agitur hic de notitia salutari: at Deum unum esse Opificem Mundi præscindendo à Mediatore, num salutifera Dei potest vocari doctrina? num opus fuit, ut gentiles in hoc argumento prolixè erudirentur, quod per se notum, quod cordibus inscriptum, quod jugiter affulget ex Universi hujus machinâ, quod citra Doctorem externum influit. Scil. Grotio magnum quid videtur, si extenuet Scripturæ emphasin. Tertid, quotquot saniores inter Calvinianos hoc commentum repudiant. Ipse Calvinus scribens: *Iterum hic locuples de gentium vocatione testimonium habemus, quum nominatim exprimat, Christum in earum Lucem esse destinatum. Piscator ita explicans: Dedi te in Servatorem gentium, per cujus cognitionem electi in omnibus gentibus exhilarabuntur. Ipse denique Polus, postquam adduxisset Exegesi Grotii subjungit sequentia: Reliqui longè aliter & de Christo exponunt, & ad sequentia addit, ut gentes eruas ex tenebris ignorantia, easque illumines, doceas, deducas ad justitiam, vitamque aternam, ut eas exhilares cognitione tui, ut Lux recreat oculos, &c. Ut illis vel noctu ambulanti- bus præens, & instar lucis viam monstres. De Israelitis pactum dicit, de Gentibus tantum lucem; quia nullum cum illis pactum fecerat Deus de Christo mittendo, &c. Hunc locum non de Esaia, (ut vult Grotius,) sed de Messia, intelligendum esse constat ex collat. Esa. 49. v. 6. Luc. 2. v. 32. Act. 13. v. 47. & ex re ipsa, & ex verbis sequentibus: Num enim Esaias erat fœdus populi, lux gentium, apertor oculorum, &c. (Calov. locum sic reddit, Prehensumque manu tueor, & humano fœderi gentisque collustrationi destino.) Ut aperires oculos cecorum, sic Sy. P. Ti. G. idololatrarum: vel, cæcos, M. Mo. JT. עִינַיִם עֲרֹרָה Oculos cæcos, nempe spiritualiter: per prædicationem Evangelii. Et educeres de conclusione (vel), clausura, Mo. Ti. carcere, P. Ti. Pi. Sc. i. e. à dominatu peccati & Satana, & metu mortis, vinctum] Vel, vinctos, Ti. Angl. Singulare collectivè. Ut Judæi, per te moniti de corrigendis vitiis suis, hoc modo exitum reperiant ex illa custodia in qua detinebantur. Verùm non de Judæis hoc dicitur, sed de Gentibus, [saltem non minùs de Gentibus quàm de Judæis, nam de utrisque loquitur v. præced.] quarum hac descriptio est, quodd*

quod in tenebris sedeant, *Esa. 9. v. 2. & 60. v. 1. 2. Luc. 1. v. 79.*
Sedentes in tenebris] *Id est, in summâ mœstitiâ; miseris obrutos; &c.*
[*Ch. locum sic reddit, Ad aperiendum oculos domûs Israël, qui
sunt quasi cœci à lege, &c.*]

LXXII.

Hugo Grotius, ut in priori dicto maluit suum sequi arbitrium,
quam communi & receptæ insistere viæ, ita hoc quoque Oracu-
lum pro ingenio suo exposuit, parum sollicitus de mente Spiritus
S., quem refutat *primò* tota structura textus, verba magnifica,
quæ non quadrant in *Esaïam*, ipsa appellatio *Lucis Gentium &*
Salutis Domini usque ad extremum terræ. Num enim tam angu-
sti tituli *Esaïæ* competunt? num ille fuit *Lux Gentium*, qui tan-
tùm quædam *Gentibus* denunciavit tristitia, & adversus illas Ora-
cula direxit quædam ex suis? num ille *Salus Domini* usque ad ex-
tremum terræ? an quod soli *Messîæ* proprium commune dicen-
dum est quoque *Esaïæ*? Refutat *Secundò* *Interpres* omni exceptione
major *Paulus Actor. 13. v. 47.* qui ibidem hæc verba de *Christo*
explicat, ut etiam ipse *Grotius* agnoscere coactus fuerit, loqui hoc
oraculum de *Christo*, quanquam voluerit dictum non excluso *E-*
saiâ, atque addat: *Hoc de Esaia dictum multò magis Christo convenit,
qui fecisse dicitur, quod fecit per Apostolos.* Tertiò refutat ipse sei-
psum, nam ad *Lucæ 2. v. 30.* scribit, *σωτήριον* solent interdum po-
nere *LXX.* *Interpres*, ubi in *Ebræo* est *ישוע* ut *Psal. 98. v.*
3. ἄδωσαν πάντες τὰ τέρατα τῆς γῆς τὸ σωτήριον ἃ θεῶν ἡμῶν, 1. Sam. 2.
v. 1. alibi vertunt *σωτήριον*, ut *Gen. 49. v. 18. Esaïæ 52. v. 10.*
ubi eadem illa, quæ in dicto *Psalmo* sententia est: ut & *Lucas* su-
pra dixit *κείρας σωτηρίας*. Est ergò hîc abstractum pro concreto po-
situm *σωτήριον* sive *σωτηρίαν ἀντὶ τῶ σωτήριου*, sicut & latinè dici-
mus, *Tu mea Salus es*. Apud *Esaïam 46. v. 13.* *Deus* loquens de
Messîâ similiter ait *ישועתי Salus mea id est à me*, & apud eundem
49. v. 6. ישועתי sensu eodem.

LXXIII.

Denique *Paraphrasis* quam ad locum *Esaïæ* sexagesimo ca-
pite supra allegatum posuit *ιδιογράμω*, ubique hiat & sese prodit.
Nam *primò* ipse *Oecolampadius* censet, sermonem non dirigi hîc ad
Jerusalem terrenam sed *cœlestem*, hoc est, ad *Ecclesiam ipsam*,
quæ

quæ olim in parvo numero erat, & propterea in humilitate, mœrore ac tenebris sedebat: ut surgat tanquam libera & læta ad novum numerum, & quæ obscura erat, nunc sit clara, & celebretur in toto Mundo, quia adfit Christus: dato itidem sermonem dirigi ad Jerusalem excitatio illius tam singularis non facta est quamcunque etiam temporalem prosperitatem, sed & splendoris Adventum & Gloriæ Jehovæ ortum super eam, quia scilicet advenit, qui descriptus Lucæ 2. v. 30. 31. 32. qui solus verè principaliter *primò* & eminenter Lux in Scripturis dicitur, de quo Joh. 1. v. 9. cap. 8. v. 12. cap. 12. v. 35. 36. præcipitur, ut non tantùm surgat, sed & illuminetur, illustrari se patiatur impleri gaudio, perfundi lætitiâ spirituali, quia tenebræ operiant terram & caligo populos scilicet illæ tenebræ, de quibus Lucæ 1. v. 79. quas dissipavit ἀναπολή ἐξ ὕψους, Oriens ex alto, illa ipsa Lux adveniens, de quâ hic Propheta, ad quæ verba Lucæ ipse *Grotius*. vide Matth. 4. v. 16. sensus est populo hebræo affulsuræ hanc Lucem tunc cum in summis ignorantie tenebris versaretur, plura possent addi nostræ sententiæ pellucet ex textu, sed & testimonio piæ antiquitatis. Rectè enim *Cyrillus* in hæc verba; *Venit tua Lux tantùm non presentem esse ostendens eum, qui olim in Lege & à sanctis Prophetis prænunciatus est, quique in carne prostremis seculi temporibus illuxit mortalibus. Vocatq; eum qui apparuit, gloriam Domini. Ortus enim est Christus tanquam Sol quidam, Luce divinâ ac intelligentia collustrans omnia & vera Dei cognitionis splendorem promptioribus ad fidem amplectendam immittens. Estque gloria Dei & Patris in ipso & per ipsum & cum ipso glorificatur.* Conformiter illi *Hieronymus*: *Venit Lumentuum, quod omnes Propheta pollicebantur: quod jugiter exspectabas. Et gloria Domini, quæ quondam fuit super Tabernaculum & Templum ejus orta est super te, de quâ dictum est: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei Sc.* *Tertiò*, quod *Grotius* de caligine premente Medos & Babylonios de Adventu Gentium & Regum gratulantium nugatur, putidum est. Annon enim Propheta generalissimè loquitur de Tenebris non Medos & Babylonios sed terram operientibus, de caligine profundissima populos involventibus? Annon quæcunque gratulatio, quæ tamen non ad votum docere potest, nimis est exilis

ad

ad illam augustam phrasin: ambulabunt Gentes in Lumine tuo,
& Reges in splendore ortus tui, de quâ videndi nostri Interpretes.

LXXIV.

Transeamus ad locum Matth. 3. cui frustra opponitur defectus vocabuli *πυρ*, tum quia ipse Beza agnoscit illud vocabulum esse genuinum, tum quia Interpretes orientales Syrus, Arabs, & Æthiops, nec non Patres Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus & Cyrillus Sectionem hanc confirmant, tum quia Lucas expressè illam habet cap. 3. v. 16. unde etiam observante Sculteto ex Matthæo Paris. in Henrico III. Paulo Veneto de Regionibus orientalibus lib. 3. cap. 43. Petro Bizaro Historiæ rerum Persicarum libro 10. complures Ecclesiæ & nationes multis jam seculis ritum inustionis religiosè observarunt, hodièque observant, inducti hæc verborum specie. Sanè ignis gehennæ intelligi nequit, quia scopus Johannis est commendare virtutem Messiæ, conferre beneficium cum beneficio, & quidem luculentius ex igne cum aquâ, aggit de Baptismo succedaneo suo & secuturo, ubi autem in universâ Scripturâ legitur vox *βαπτίζω* de gehennâ, & quomodo dici potest illâ homines esse baptizando. Quid? num ignis gehennæ & Spiritus S. sunt connexa, & unum quid faciunt? num, qui baptizatur igne infernali, Spiritu quoque baptizatur? non enim tantum dicitur Messiam baptizaturum igne sed & Spiritu. *Secundò* Patres variasse non negamus, sed idem deprehenditur in aliis dictis Scripturæ, nec fundamentum habent ipsorum Expositiones, de igne judicii Christi non potest accipi, ut vult *Hilarius*, quia iudicium extremum non describitur sub figurâ ignis in Scripturâ, nec baptizari commodè aliquis dicitur iudicio, nec collatio rectè subsistit, quæ à Johanne instituitur non inter Sacramentum Baptismi & iudicium extremum, sed inter opus Spiritus S. in aquâ & opus illius in igne. Et quam languet illa ex igne deductarum qualitatum ad iudicium divinum atque ultimum comparatio, quod scilicet iudicium Christi sit acre, clarum & horridum instar ignis. Denique etiam *Chrysostomi* sententia non quadrat, neque enim sermo est de cruce Baptistæ, sed de fortiore quodam effectu Spiritus, qui scilicet Baptismo aquæ sit successurus, nec tribulatio per se à Christo, quasi scilicet ille igne tribulationis fideles suos affligat, nec per hoc medium

M

à pec-

à peccatis abluimus, sed per Baptismum aquæ contradistinctum & tribulationibus & Baptismo ignis. Tertiò illud maximè à sensu & mente Johannis recedit, quod ignis hic sit ignis purgatorii, quod merum figmentum. Suarezio igitur meritò opponimus socium terra & religionis Johannem Maldonatum, qui ita: Sunt, qui ignem hoc loco purgatorium interpretentur, quo homines post mortem quodammodò baptizantur, id est, à peccatorum maculis, si quas adhuc habent, abluantur, ut *Origenes*, & *Hilarius*, & *Hieronymus*. Sed dubium non est, quin per ignem Spiritus S. significetur. Conjunctio enim ET hic non est conjunctiva, sed explicativa. Addita autem est explicatio, ut non qualiscunque Spiritus S. communicatio, sed illa illustrissima, quæ die Pentecostes specie ignis facta est, significaretur. Argumentum est, quod cum Christus de solâ Baptismi aquâ agit, hanc explicationem non addit. Quanquam autem falsa veris misceat *Maldonatus*, in tantum tamen profunt illius verba, in quantum in illis rotundè negatur per ignem hunc ignem purgatorium intelligi. Opponimus *Cornelium à Lapide*, qui ita: Genuinè Spiritu sancto & igni, hoc est Spiritu S. igneo & igniente: Spiritu S. qui est ignis, id est, qui est similis igni & quasi ignis urit & igni. Imò ipse *Bellarminus* quamvis hæreat, nec sciat, in quo consistere debeat, tamen ita loquitur libro de Baptismo capite 2. Per ignem intelliguntur vel lingue igneæ, in quibus die Pentecostes apparuit Spiritus S. super Apostolos, vel ignis purgatorii, vel ignis divini judicii, vel ignis tribulationis.

LXXV.

Adjiciamus, antequam abeamus, quæ ex nostris habet *Erasmus Schmidius* ad Luc. 3. v. 16. scribens: Τὸ πῦρ, ignis, *Fleur*. Res motior, quam ut verbum opus sit. Caterùm metaphoricè interdum etiam alia significat, v. g. ipsum Spiritum S. ut hoc loco & *Matth. 3. v. 11.* ubi vide. Hic enim τὸ πῦρ non notat diversum quid à Spiritu Sancto sed ipsum Spiritum S. igne in Festo Pentecostes *Actor. 2. vers. 3.* Cui succenturiamus ex nostris *Johannem Winckelmannum*, qui ita: Quibus verbis *Johannes* prædicit visibilem effusionem Spiritus Sancti, quæ in die Pentecostes facta est, sicut *Actor. 1.* legimus, Christum hanc promissionem ad discipulos suos repetiisse, ut post dies non multos adimplendam.

Igni,

Igni, &c. Ignis vox denotat flammâs & linguas igneas, quibus Spiritus Sanctus in Apostolos effusus est. In hoc igitur Christus etiam Jobanne major est. Quia potestatem habet donandi Spiritum Sanctum. Ex Calvinianis Piscatorem, qui sequentia promit: Vos] *ἁγιάσθε*. Id est, vestrum aliquos: videlicet Apostolos, ut planum fiet ex iis, quæ mox dicentur. Synecdoche integri. Baptizabit] *βαπτισθήσεται*. Videlicet in die Pentecostes sic enim declarat Christus ipse Actor. 1. v. 5. ubi ad hæc Johannis verba respiciens, ait Apostolis: Johannes quidem baptizavit aquâ: vos autem baptizabimini (nempe à me) Spiritu sancto, post dies istos non multos: id est, post dies decem, ipso scilicet die Pentecostes: ut planum evadit ex collatione v. 3. c. 1. & v. 1. c. 2. Spiritu sancto & igni] *ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ*. Præpositio *ἐν* redundat, ut pauld ante. Caterùm duo hæc intelligi oportet adhibitâ distinctione: nempe Spiritu S. internè: igni verò externè, tanquam illius symbolo. Vide complementum Actor. 2. v. 3. & 4. Confer etiam cap. 10. v. 44. & sequentibus: nec non cap. 19. v. 5. Porro Spiritus sancti vocabulo ita hic intelligit donum illud miraculosum, linguarum ac prophetiæ, ut simul innuat donum regenerationis: quod Christus per Spiritum S. confert electis in prædicatione Evangelii, per baptismum verò aque figurat & obsignat. unde Johan. 1. v. 33. Johannes Baptista narrat, sibi à Deo dictum esse de Christo. Hic est, qui baptizat Spiritu sancto] quanquam illic potest statui enallage temporis: ut dictum sit, *ὁ βαπτισθήσεται*, pro *ὁ βαπτισθήσεται*. Etenim ex isto Dei testimonio Johannes hæc verba de Christo pronuntiavit, quæ hic habentur.

LXXVI.

In Historia Actor. secundo Capite descripta nihil videmus, quod nos à vera ignis indole & naturâ agnoscenda retardet, nec argumenta Cornelii tanti sunt ponderis, ut deprimant nostram præ alterâ sententiam. Non urget primò phrasis *ὡς πυρὶς* in genitivo tanquam ignis, ipse enim Cornelius agnoscit vocem *ὡς* five tanquam vel sicut in Scripturâ non tantum esse notam similitudinis sed & veritatis, ut Johannis cap. primo vs. 14. Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti à Patre, addit ipse *ἵνα* tanquam significare potius similitudinem fuisse in linguis, quam in igne, ut sit Hypallage q. d. linguæ tanquam ignis h. e. ignis tanquam linguæ. Ludovicus de Dieu ita ad verba illa. Vulgatus tanquam,

M 2

ignis,

ignis, ubi cum ignis tam in recto, quam in gignendi casu accipi possit, incommodum illud vitari, nec à Græcis defecti existimat Cl. Beza, si vertatur instar ignis. At verò genitivus *πυρός* non regitur ab *ἰσεί* sed à *γλώσσω*. Genitivus autem ignis ab instar. Ideoque ambiguitatem habet longè maximam; quia instar ignis referri posset ad divisæ, quasi sensus esset divisæ instar ignis, id est, sicut ignis dividitur. Ut ergò ambiguitas tollatur, omninò necesse est vertere cum Erasmo tanquam igneæ. Nam *γλώσσω πυρός* linguæ ignis sunt igneæ. Syrus habet אָרֵי לִשָׁתָא tanquam ignis in Nominativo. Nee illud quod de carneis promit linguas, premit, nam & ipse sibi quoque hic præstruxit præmittendo linguæ hæ non erant veræ linguæ, humanæ & carneæ (hæ enim fuissent crassæ & indecentes, ac incongruè ad repræsentandum Spiritum S. qui subtilissimus est Spiritus) sed erant similes igni, quia ignis hic in linguæ specie apparebat & insidebat Apostolis. Non *secundò* illud de columba, quæ descendit in Christum. *Partim* quia non est consequens, si illa columba tantùm fuit species hujus animalis non vera, & ut Juvencus loquitur gerens speciem descendit ab alto, Spiritus, aëream simulans ex nube columbam, etiam linguas hæc & Spiritum in specie tantum ignis apparuisse, *partim* quia particula *ἰσεί*, ut suprâ concessit Cornelius, potest esse signum veritatis, *partim* quia nondum liquidum illam formam non fuisse verum Columbinum corpus. Sanè si Tertullianum admittamus, stabit ille contra Cornelium, utpote qui in libro de Carne Christi Spiritus, inquit, tam verè erat Columba, quam Spiritus, nec interfecerat substantiam propriam assumpta aliena; nec tantùm ille, sed & Hieronymus, Anselmus, ex ipsis verò Pontificiis Doctoribus Thomas part. 3. q. 39. Salmeron & alii. Non *tertiò* illud de ustione, nam *primò* non omnis ignis urit, sed ille tantùm qui elementaris, vel ut nos malumus loqui, quî in densiore aliquâ materiâ, *secundò* hic ignis fuit supernaturalis, quî itaque non potuit esse lucens, non urens, atque sufficienter suas partes explere lucendo. *Tertiò*, quid sentiendum de igne lambente, qui & qualis visus in vertice Juli; annon fuit verus ignis, nec tamen adussit capillos, consumpsit crines. Et si non repugnabit esse illum aërem vel vaporem densiorem, cur repugnabit dicere fuisse ignem, &, qui pro-

probabitur fuisse istiusmodi aërem, cui Deus indiderit Lucem ro-
seam & rubeam instar ignis in linguæ speciem conformatus.

LXXVII.

Audiamus Sanctium ita differentem: Divinus Spiritus, quia in-
flammatus erat Discipulorum corda, ignis illorum oculis similitudi-
nem objecit; & quia totius mundi magistros instituebat, magistrorum
instrumenta præcipua ad docendum dedit, linguam sanè, non frigidam,
& in udo, ut Satyricè Perficus, lubricè natantem, sed igneam, &
volubilem, quæque inflammata priùs reliquos similiter inflammaret. Di-
cuntur autem dispersitæ, vel quia non essent in uno quasi acervo con-
ferti, sicut frondes in arbore, sed ita dispersæ, ut singulæ singulorum
capitibus insiderent: vel quia expeditæ linguæ, & ad fingendos sonos
aptæ figuram referebant: Talis verò lingua divisa, ac dispersita vide-
tur dici posse; nam linguæ ad formandam, distinguendamque vocem
aptæ, absolutæ esse debent, id est, extente, non constrictæ; illæ enim
sermonem exprimunt, voluntque celeriter, hæ impediunt, & obscu-
rant. Quare, ut inquit Aristot. 2. de partibus cap. 17. & 1. de histor.
cap. 11. constricta lingua balborum est, atque blasorum: & homines à
Græcis meropes dicuntur, quia vocem dividunt, formantque variè,
Unde lingua dispersita fortasse dicitur hominis lingua, quia sermones
aliter, atque aliter fingit. Submittamus illi Libertum Fromondum
scribentem: Vox ignis est genitivi casus, ut ex Græco patet. Adver-
bium, Tamquam, licet sit similitudinis, non tamen veritatem exclu-
dit, ut statim dicitur. SEDITQUE SUPRA SINGULOS EORUM. Ille ignis
ex alto delapsus resedit super capita singulorum. Quidam tamen su-
per labia resedisisse imaginantur. Cajetanus & multi alii recentiores
negant fuisse verum ignem, sed aliquid rubicundum & lucens instar
ignis. Sed cum ignis proprius & elementaris, sit maximè idoneum sym-
bolum ad representanda dona & effectus Spiritus S. non est, cur ve-
rum ignem fuisse negemus. Deinde in vero fulminum & tonitruorum
igne in monte Sinai lex vetus promulgata est, Exod. 19. v. 16. Hoc
autem figura fuit promulgationis novæ legis in monte Sion, ubi erat
cœnaculum illud, in quo erant Apostoli congregati. Unde etiam sicut
lex vetus die quinquagesima ab esu Agni Paschalis, & recessu ex E-
gypto data & promulgata fuit; ita lex nova in Pentecoste sive quin-

quagesima die à Paschate Christiano. Non tamen ignis ille capillos Apostolorum adurebat, quia similis erat illi, quem Philosophi naturales lambentem vocant, qui adberet crinibus, nec tamen adurit. Iste ignis non replevit totam domum, sicut ille Spiritus vebemens, ne Apostoli exterriti inde aufugerent, ait Oecumenius. Quidam putant singulas linguas bifidas, trifidas, aut quadrifidas &c. apparuisse pro numero linguarum, quarum dona nusquisque accipiebat, & prout necessarium ipsis erat ad promulgandum Evangelium nationibus, ad quas destinabantur, vel ad alios usus. Et tandem ex nostris B. Gerbardum, cuius sunt sequentia: Sensus est, descendisse in Apostolos splendores quosdam ac lumina, quæ essent instar flammæ ignis, nempe dispersa, & ut ipsa flammæ natura fert, in linguarum similitudinem. Neque enim ipsæ Apostolorum ac cæterorum, qui congregati erant, linguæ erant igneæ, sed Spiritus S. in symbolo ignis, linguam referentis, sedebat super eis. Nempe in externâ illâ linguarum ignitarum figurâ, quo respiciens Syrus pluralem numerum h. l. adbibet. Id quod etiam de Arabe affirmat Ludov. de Dieu: sed ut ut certum sit, Arabem ad linguam referre verbum sedit, ipse tamen non plural. sed singular. num. adbibet, vertit enim سقفرت Potestque omninò etiam singularis habere locum, si vel maximè etiam ad symbolum referatur, h. m. ut verba: ἄφθονοῦ ἀνοῖς &c. per hypallagen dicta accipiantur pro ἄφθονοῦ ἀνοῖς ἡ, ὡς εἰ Ἀγγελοῦ ἢ ἄλλου γλώσσα. Quod verò lingua לשׁוֹן metaphoricè pro re qualibet, linguæ figuram habente, apud Ebraeos adhibeatur, probat Buxtorff. in Lex. Rabb. Talm. p. 1162. ex Jos. 7. v. 21. Esa. 5. v. 51. & insuper apud Rabbinos quoque hunc vocis לשׁוֹן usum obtinere, ibidem docet. Add. Schindl. in Lex. Pentagl. rad. לשׁוֹן. Rationem verò hujus metaphoræ proponit D. Glassius Rhetor. Sacr. p. 202. Qui tamen probabile esse existimat, quòd flammulæ quædam, quales sunt ignis, tum ex ore labiisque eruperint, tum in capitum verticibus insidere quasi visæ sint. Cæterum ut ut phrasis ἄφθονοῦ ἀνοῖς, ita non incommodè accipiat, nempe pro ἐπ' ἀνοῖς, quemadmodum etiam Matthias Flacius, Salmero t. 12. p. 62. Johannes Piscator, aliique ita exposuerunt, potest tamen fortè ita quoque accipi, ut statuatur posita pro ἀπ' sive ἐκ' ἀνοῖς, quemadmodum similis constructionis exempla pluscula attuli in Disputatione quâdam philologicâ sub Excell. Dilberri præsidio, ipsis viginti abhinc annis in Academiâ hæc

Salanâ habitâ, Post. 2. potestque tum ἰδὲ αὐτῶν vel ad ipsos Apostolos referri, uti d. l. adjertum, vel ad Spectatores quod B. Luthero visum. Obscurè S. Athanasius t. 1. p. 389. ἐφάνη ἰδὲ πρὸς τὴν πνευματικὴν ἐν εἰδεί πρὸς, ἐκκελευσάτω γὰρ γλώσσαι ὡσεὶ πρὸς, καὶ ἐκάλησαν (Videmus autem hic, egregie impletum fuisse, quod Christus jamjam ascensus Apostolis promiserat Act. 1. vers. 5. ac Johannes etiam prædixerat Matth. 3. v. 11. quem locum utut plurimi Pontificii contra efficaciam baptismi Johannis urgeant, rectius tamen alii de visibili Spiritus S. effusione accipiunt, quibus etiam adstipulatur Franciscus Ribera (quem Jesuita Gretserus Defens. Bell. t. 1. p. 297. præstantem Societatis Jesuiticæ Theologum nominat.) Comm. in Prophet. Min. p. 205. ubi pro eadem hac, quæ nostratum, explicatione, Chrysostomi quoque & Theophylacti consensum urget.)

LXXVIII.

Ponamus autem illum ignem non fuisse verum, sed similitudinarium, nihil adhucdum decedet nostræ sententiæ de Luce Spiritus S. Fuit enim aliqua Lux, quæ refulsit in oculos, agnoscitur ab ipso Cajetano fuisse fulgidam speciem, indidit secundum Cornelium illi Deus Lucem roseam & rubeam, qui ita symbolo illo externo non commodè dicamus figuratum esse illam profundiorē & internam Lucem, quæ ipse Deus, ipse Spiritus S. qui sedet supra singulos eorum.

LXXIX.

Tentemus tamen, annon etiam positivè probare possimus ignem hunc fuisse veram Lucem & Ignem. Ducit autem nos ad hanc veritatem primò ipsa natura ignis, est enim ille symbolum, maximè aptum ad repræsentandum Spiritum S. ejusque charismata, ut comparatio instituta docere potest, cur itaque nulla urgente causa recedamus à Naturâ veri ignis à Deo hic adhibiti, cur non vocabulum in propriâ accipiamus significatione? apparuit sæpius Deus in igne & seipsum ignem appellari voluit, qui itaque hic non apparuerit in igne Spiritus, qui nihil aliud quam Lux & Ignis quidam eminentissimè talis; admittunt ipsi adversarii hoc symbolum, in quo apparuit Spiritus S. fuisse coloris rubei, fulgo-

ris singularis, & volubilitatis, motusque admirandi, cur itaque non ignem fuisse pronunciemus, in quem omnia hæc requisita cadunt? *secundò* prædixisse Christum talem demittendum ignem, respexisse ad illum *Nicetas* existimat, & cum illo Pontificii Doctores, cum itaque pronunciavit: Veni mittere ignem in terram, cupio etiam, ut ardeat Lucæ 12. *¶* 49. quid itaque prohibet, quominus de vero igne accipiamus illum, qui delapsus in Apostolos, sicut flatus, inquit *Augustinus* Sermone 387. & 188. de tempore à carnali palea corda mundabat, ita ignis ferrum veteris concupiscentiæ consumebat. *Tertiò*, si attendamus ad Pentecosten V. T. patebit Legem in fulminum igne, & quidem vero, atque inter tonitrua & fulgura fuisse promulgatam Exod. 19. v. 16. qui itaque negabimus, verum ignem pentecostali Festivitate N. T. cujus mentionem facit *Lucas* & similitudinem pro veritate, typum pro Corpore substituemus, qui si locum habuisset, habuisset in Pentecoste V. T. non Novi. Si attendamus ventum obortum & prælusisse igni apparanti, qui fuit ventus verus & primum symbolum Spiritus, qui negare poterimus alterum symbolum fuisse ignis veri? qui affirmare decenter licebit fuisse ignis similitudinarii: audivit sanè tota Hierosolyma sonitum illum repentinum venti & ad rei Novitatem accurrit, ut docet versiculus sextus. Si denique attendamus ad gentilium sacra videtur aliquid ad illos dimanasse de igne cœlitus delapso non tantùm in sacrificia V. T. sed & ipsos Apostolos: coluisse enim illos ignem verum de cœlo lapsum docet *Ammianus Marcellinus* lib. 23. Magos fuisse apud Cappadoces, quos *Pyrethos* vocarint & qui ignem inextinguibilem servarat, testatur *Strabo* lib. 15. adde quæ habet *Plutarchus*, & de Perſis *Curtius*, de Britannis *Solinus*, de Chaldæis *Jamblichus*. Et certè si quis percurrat rationes, quas adducit *Cornelius*: Cur igneæ visæ fuerint illæ linguæ, liquebit, quæ producit in septem illis pro nostra sententia. Rectè itaque *Leo* Sermone I. de Pentecost. *Ut verbum Domini lucidum & Eloquium conciperetur ignitum, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccatum & Efficacia illuminandi, & vis inesset urendi novæ Lucis fulgura coruscarunt, & micantium splendor linguarum.*

